



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris Theologia Tripartita Universa**

Complectens nunc Bibliothecam perfectam Viri Ecclesiastici, ordine  
sequenti

Controversiae Heterodoxae Ac Scholasticae - Cum speciali Notitia rerum  
Modernarum, & Chronologia totius Monarchiae Sacrae, & Saecularis,  
Pontificum, Conciliorum &c. Haeresum omnium, ac Propositionum  
damnatarum Mundi Sex Aetatum ...

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

§. 7. De Cæremoniis variis quibus in pluribus utitur Ecclesia Romana,  
contra illarum oppugnatores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38447**

Ubi manifestum est Christum non de omnium, sed de adultorum ad fidem convertendorum baptismo loqui. Baptismum autem omnibus in communi adeoque infantibus necessarium declarat Joannis 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei.

Mirum sane est hanc hæresim contra consensum totius Ecclesie, etiam primitivæ, ut ostensum est, permitti in Hollandia & Anglia tantoperè grassari: cum nec ipsi hæretici Pelagiani, qui tamen Peccatum originale negabant, ausi fuerint negare Baptismum infantibus necessarium esse, saltem ut fierent capaces Regni cælestis consequendi, ut disertè testatur S. Augustinus de Hæresibus cap. 88.

## §. VI.

## De Matrimonii Sacramento.

NOlunt passim moderni Sectarii Matrimonium esse Sacramentum, sed tantum contractum civilem. Oppositum docet semper Ecclesia Romana.

Probatur doctrina Catholica, Quia utraque pars consentit, Triâ ad Sacramentum requiri. Signum aliquod externum sive sensibile: Institutionem divinam: & Gratiâ sanctificantem illi annexam. Primum in Matrimonio reperiri patet ex Apostolo qui de illo agens pronunciat ad Ephesios 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* Ubi asserit contractum visibilem inter virum & feminam apud Christi fideles magnum esse Sacramentum. Atque ita hunc locum exponunt Patres primitivæ Ecclesie Hieronymus, Chryostomus, Nazianzenus, ceterique. Secundum, de Institutione divina, patet ex verbis Christi Matthæi 19. Quod Deus conjunxit, homo non separet. Ubi & vinculi connubialis insolubilitas in novo Testamento declaratur. Tertium de Gratiâ tali contractui matrimoniali annexa colligitur ex loco Apostoli supra citato. Nam conjunctio viri cum femina significat conjunctionem Christi cum Ecclesia. Hæc autem conjunctio est per gratiâ & charitatem: & ratione hujus dicitur Christus sponsus, & Ecclesia illius sponsa. Ergo ut matrimonium viri cum femina possit significare hanc unionem Christi cum Ecclesia, oportet ut sit inter conjuges fideles non tantum unio quædam naturalis aut carnalis, qualis etiam inter Gentiles reperitur, sed etiam unio spiritualis, quæ in gratiâ & charitate consistit: ac proinde Sacramentum illud matrimonii hanc gratiâ conferre debet, ut in eo subsistat significatio perfecta unionis Christi cum Ecclesia ab Apostolo asserita.

Hic autem sensus Scripturæ ac primitivæ Ecclesie ab illius ævi Patribus communi consensu declaratur, ac nominatim à S. Augustino tam alibi quam in lib. de bono conjugali cap. 18. *In nostrorum Nuptiis plus valet Sanctitas Sacramenti, quam fecunditas uteri.* Et ibidem cap. 24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes, & omnes homines in causa generandi est; & in fide castitatis: quod autem ad populum Dei attinet, etiam in Sanctitate Sacramenti per quam nefas est etiam intercedente repudio, alteri nubere.*

Hæc ad convincendum rationem Sacramenti in Matrimonii fidelium abundè sufficiunt contra modernos Affectas Lutheri ac Calvinii, qui lib. 4. Institut. cap. 19. audeat impudenter asserere, Sacramenti ratio-

nem non magis convenire Matrimonio quam agriculturæ aut arti futuriæ.

Plura de Matrimonio, & de singulis Sacramentis in Conc. Tridentino definita, & à Cardin. Bellarmino fusius explicata, annotatis utriusque locis hic opportunè subijcio, si quando opus fuerit studioso Lectori ea prolixius investigare.

*Dogmata alia de singulis Sacramentis à Tridentino definita, & à Bellarmino fusè explicata indicantur.*

**D**E Baptismo, Trident. Sess. 7. Canonem 1. explicat Bellarminus Tomo III. pag. 277 & 303. Canonem 2. expl. Bel. pag. 215. & 221. Canon. 3. Bel. 251. Canon. 4. Bel. 88. Canon. 5. Bel. 221. Canon. 6. Bel. 260. Canon. 7. Bel. 260. & 266. Canon. 8. Bel. 260. & 269. Canon. 9. Bel. 260. & 270. Canon. 10. Bel. 260. 272. Canon. 11. Bel. 164. Canon. 12. Bel. 241. Canon. 13. Bel. 241. Canon. 14. Bel. 241.

*De Confirmatione*, Trid. Sess. 7. Canon. 1. explicat Bel. 299. Canon. 2. Bel. 318. Canon. 3. Bel. 331.

*De Eucharistia Sacramento* Trid. Sess. 13. Canon. 3. expl. Bel. pag. 591. 606. 660. Canon. 4. Bel. 591. Canon. 5. Bel. 648. Canon. 6. Bel. 640. 699. Canon. 7. Bel. 591. Canon. 8. Bel. 359. Canon. 9. Bel. 372. Canon. 20. Bel. de Sacerdotio Canon. 11. Bel. 650. 651.

*De Sacrificio Missæ*, Trid. Sess. 22. Canon. 1. Bel. 712. Canon. 2. Bel. 795. 799. 805. Canon. 5. Bel. 811. Canon. 6. Bel. 832. Canon. 7. Bel. 832. Canon. 8. Bel. 712. Canon. 9. Bel. 621. 828.

*De Pœnitentiæ Sacramento*, Trid. Sess. 14. Canon. 1. Bel. 914. Canon. 2. Bel. 930. Canon. 3. Bel. 914. Canon. 4. Bel. 914. Canon. 5. Bel. 905. Canon. 6. Bel. 1028. Canon. 7. & 8. Bel. ibidem Canon. 9. Bel. de absolutione. Canon. 10. Bel. 83. & de Sacerdotio. Canon. 12. Bel. 1090. Canon. 13. Bel. 110. 1104. Canon. 15. Bel. 1098.

*De Extrema Unctione*, Trid. Sess. 14. Canon. 1. Bel. 1248. 1258. Canon. 2. Bel. 1262.

*De Ordinis Sacramento*, Trid. Sess. 23. Canon. 1. Bel. 1280. Canon. 2. Bel. 1277. Canon. 3. Bel. 1216. Canon. 4. Bel. 1280. Canon. 5. Bel. 1282. Canon. 7. Bel. 1274.

*De Matrimonij Sacramento*, Trid. Sess. 24. Canon. 1. Bel. 1286. Canon. 2. Bel. 1324. Canon. 3. Bel. 1400. Canon. 4. Bel. 1364. Canon. 5. Bel. 1336. Canon. 6. Bel. 1376. Canon. 7. Bel. 1343. Canon. 8. Bel. 1337. Canon. 10. Bel. 1425. Canon. 11. Bel. 1427. Canon. 12. Bel. 1425.

## §. VII.

## De Ceremoniis, quibus utitur Ecclesia Romana.

Sicut dæmon Crucem, ita horrent Sectarii moderni Ceremonias Ecclesie Romanæ, quales sunt quæ adhibentur in administratione Sacramentorum, ut in Baptismo Exorcismi, Cruces, Exufflationes satanæ &c. Item Benedictiones aquæ, quam dicimus benedictam, olei sacri, cinerum, ramorum, vestium Sacerdotalium, &c. Item, Institutio Festorum, Vigiliarum, nec non Rosaria, Cruces &c.

Docent enim Adversarii 1. superstitiosum ex his,

aut similibus uti, nisi illis tantummodò quæ in Scripturis exprimuntur. 2. Ecclesiam potestatem nullam habere Cæremonias aliquas instituendi. Sic inter alios Calvinus, Cæremonias illas, ac præcipuè in Baptismo Exorcismos & Exufflationes, non ratione, sed vulgari petulantia aggressus lib. 4. Institutionum, cap. 15. §. 19. Ubi ait esse, *adventitiam sarraginem, Satana imposturam, ludibrium, nugam, theatricam pompam, exorticas sordes, &c.*

Probatur autem solidè Catholica veritas; Primò, Licetum erat Ecclesiæ veteris Testamenti aliquas Cæremonias sacras sibi congruentes influere. Ergo etiam Ecclesiæ Novi Testamenti: cui constat circa Sacramenta &c. etiam plus concessum potestatis, ut ipsi Adversarii prædicant. Antecessus clarè constat ex Libro *Estheris cap. 9.* ubi Synagoga Judæorum auctore Mardocheo instituit novum diem Festum omnibus celebrandum, qui tamen à Deo antea institutus non fuerat. Idem alio tempore factum constat ex Libri *Judith capite ultimo: Dies autem victoria hujus festivitatis ab Hebræis in numero Sanctorum Dierum accipitur, & colitur à Judæis ex illo tempore usque in hodiernum diem.* Simile est in Machab. libro 1. cap. 4. ubi constituitur Dedicatio altaris, & illius Festum, ad quod celebrandum *Joannis 10.* constat ipsum Christum in Hierosolymam ascendisse. Neque hic refert quod Sectarii libros illos forte pro Canonis non admittant, sufficit enim in hoc puncto admitti pro legitima eorum temporum historia.

Probatur etiam secundo ex Novo Testamento *Actuum capite 15.* ubi Apostoli in Concilio congregati novam Cæremoniam constituerunt, ut Gentiles conversi abstinere à *Sanguine & suffocato:* quæ quidem Cæremonia nupiam à Deo nisi solis Judæis præscripta fuerat, & jam per Christi mortem cum cæteris abrogata, unde & *Actuum 16.* dogma Apostolorum appellatur. Nulla autem est ratio, cur jam non possit Ecclesia, quod tunc poterat constituere ex ordinaria gubernandi potestate à Christo concessa, quam supra de potestate Ecclesiæ agentes latius probavimus.

Confirmatur, Quia aliæ fuerunt postea in aliis Cæremoniis dissentiones, quas sua autoritate determinavit Ecclesia, de delectu ciborum, de diebus festis, de peregrinationibus, vigiliis, cereis, aliisque Cæremoniis, propter quas impugnatas inter Hæreticos numerati sunt Enekratæ apud Epiphanium *heresi 46.* & apud S. Augustinum *heresi 23.* Item Manichæi qui pluribus Ecclesiæ Cæremonias oppugnabant apud eundem S. Augustinum *libro 20. contra Faustum capite 4. & 5.* Postea Eustaciani apud Socratem *lib. 2. cap. 33.* Denique Vigilantius apud S. Hieronymum in ipsius *libro contra Vigilantium:* & plures alii.

Hæc præter omnia, ac si præsentia tempora spectaret, nervosè complectitur S. Augustinus pro Exorcismo, & pari ratione pro aliis Ecclesiæ Romanæ Cæremoniis agens contra *Julianum Pelagianum lib. 6. cap. 2.* *Verum est, inquit, quod antiquissimi veraci fide Catholica prædicatur, & creditur per Ecclesiam totam, qua filios fidelium nec exorcizaret, nec exufflaret, si non eos de potestate tenebatur, & à Principe mortis erueret; quod in libro meo, cui velut respondes, positum est. Sed tu id commemorare timuisti, tanquam ipse*

*à toto orbe exufflandus esset, si huic exufflationi, qua Princeps mundi & à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisset.*

Et ibidem, idem Augustinus capite 29. contra Julianum pro Cæremoniis illis citat adhuc Ecclesiæ primitivæ Patres antiquiores, ac subdit: *Hos iste audeat dicere Manichæos, & antiquissimam Ecclesiæ Traditionem isto nefario crimine aspergat, qua exorcizantur & exufflantur parvuli. Nos autem paratiores sumus cum illis viris, & cum Ecclesia Christi in hujus fidei antiquitate firmata, qualibet maledicta, & contumelias perpeti, quam Pelagiani cujuslibet eloquij prædicatione laudari. Quid possit hodie magis appositè pro hac Ecclesiæ Romanæ doctrina contra Calvinum, & alios ejus affectas intorqueri?*

Ad hoc quod passim objiciunt, Cæremonias illas nec gratiam conferre, nec ad aliud quam inanem pompam, & oculorum ludibrium valere.

Respondeo. Nos hoc illis non attribuere, ut ex opere operato causent gratiam sicut Sacramenta, quod Adversarii imperitè supponunt. Asserimus tamen illas aliunde multas magnasque utilitates fidelibus adferre. 1. Quia per illa signa externa homines rudes, aut in divino cultu torpentes mirificè ad pietatis fervorem excitantur. 2. Cæremonie illæ visibiles instruunt vivacius fidelium mentes in fidei mysteriis, quam sola verba, aut Scripturæ, quas modo valde mortuo percipiunt, aut intelligunt. Sic benedictio & applicatio Cinerum significat illis pœnitentiam, & vivam mortis memoriam, ac præparationem. Careus Paschalis gloriam & splendorem Resurrectionis Domini. Palmæ Benedictæ, victoriam Christi, suorumque fidelium de Dæmone & peccato. Formationes Crucis, memoriam Passionis Christi: Aqua benedicta, puritatem & ablutionem animæ, per actus pios & meritorios quos in hujus applicatione eliciunt, & sic de cæteris. 3. Per Cæremonias illas, quasi per Emblemata, mysteria sacra plurimum exornantur & elucescunt, ac Fideles fidem suam protestantur, & ab hæreticis discriminantur. 4. Ex Ecclesiæ institutione vim accipiunt, per modum Instrumenti, ad arendas fraudes & præstigia dæmonum, ut exorcismi & exufflationes in Baptismo, abrenunciatio satanæ, fidei professio, tactus aurium, & narium, aut aliorum sensuum, aut partium inunctio in aliis Sacramentis. Certè constat ex Scripturis, Christum Apostolis & Ecclesiæ dedisse potestatem ejiciendi dæmonia *Marci 3. vers. 15.* ac consequenter instituendi signa facta quibus id in Christi nomine præstare possint.

Denique hic ipsum Calvinum, ejusque affectas modernos aggredior. Calvinus ipse, in suo *Libello de formula Sacramentorum administrandorum*, has Baptismi Cæremonias in Scriptura non expressas præscribit. 1. Ut infans deferatur ad Baptisimum die Dominico, vel alio die celebri: en Cæremoniam temporis in Scriptura non expressi. 2. Ut qui infantem deferunt interrogentur, an spondeant se infantem adultum instructuros, & ut illi certum nomen imponatur. 3. Ut forma Sacramenti pronuncietur lingua vernaculâ. 4. Ut recitetur tunc Symbolum Apostolorum, oratio Dominica, & aliæ preces. Si has, & similes Cæremonias ex præscripto Calvini admittant Adversarii, quâ fronte, aut veritatis specie, alias Ecclesiæ Romanæ Cæremonias impugnant, quales

Arde  
kin

Theo-  
logia

quales à tempore Apostolorum in primitiva Ecclesia usurpatis, supra ex ipsius Ecclesie primitivæ testibus & Patribus dilucidè demonstravimus.

### CONCLUSIO.

*Aduersus modernos vulgi errores à vera Fide retrahentes.*

**H**Æc quicumque legis, quicumque audis, aperi tandem oculos, tuæque felicitati gratulare; quod semotis popularium errorum tumultibus, licuerit in veritatis Sacrarium introire, & ex sinceris primitivæ Ecclesie suffragiis ancipitem animæ tuæ litem dirimere, ex qua pendet Regni nunquam perituri secura possessio. Acquiesce illis Iudicibus, primæius quos ipse erroris expertes esse agnoscis: sequere illos Duces quos non dubitas per rectam Fidei semitam ad salutis aternæ metam pervenisse. Atque ex aduerso obliquam crede Novatorum viam, quam antiquitas ignorat, quam sacrarum Litterarum oracula refellunt, quam ratio ipsa tot modis deviam & præcipitem esse demonstrat. Ubi tot Tibi veritatis testes ad viam salutis facem præferunt, nullum superest erroris periculum, nullum ignorantie patrocinium.

At, inquis, longè alia Ministri nostri, quàm Patrum libri, declamant. Quid inde? Veritas non est clamor, nec Ministri sunt Patres Ecclesie. Clamitant fortissimè circumforanei dum merces adulterinas commendant; tuum verò est, ne decipiaris, clamorem à veritate discernere. Ministri tui ad buccinandam Lutheri doctrinam contra Ecclesiam Romanam magno stipendio, & amplis Ecclesie spoliis conducti sunt; hæc arte familiam sustentant, uxores ornant, filias elocant, pro domo sua, non pro salute tua negotiantur: hujus tibi curam relinquunt, qui brevi stabis ante tribunal Christi, pro teipso rationem redditurus.

Confugies fortè ad popolare argumentum. Vivimus felices, aspirat cælum, omnibus fortunæ donis cumulatur; jacent passim in tenebris & inopia Romana Religionis cultores; manifestis igitur cæli favoribus Lutherana religio comprobatur. At vide quæso, quantum tibi fortunæ splendor mentis aciem obnubilet. Vivit fœlix imperium Turcarum, maximâ orbis parte dominatur, ad extremum mundi angulum relegatus est Lutherus, si cum Mahomete conferatur. Manifestis igitur cæli documentis præcæteris omnibus Mahometi religio commendatur. Si igitur Fortunam non colis, sed Christum, ipsum audi longè alias Ecclesie sue notas ingerentem *Joan. 16. vers. 20.* Vos contristabimini, Mundus autem gaudebit. Et *vers. 33.* Vos quidem in mundo pressuram habebitis, sed confidite quia ego convici mundum. Vera Christi Ecclesia in stabulo & pauperie cæpit, in pressuris tyrannorum crevit, per Crucem & inopiam adolevit. Aliam ad cælum viam tuus Tibi genius, non Christus commendat.

Sed quomodo, inquires, fieri potest ut tot Viri graves, vitæ & virtutibus in Republica Lutherana conspicui à veritate & salute aberrent? Virtutem si à Fide sejungas, nil nisi virtutis inane simulacrum ostendas. Veritas & virtus comites sunt individuae: absque veritatis consortio nulla virtus adeo speciosa est,

ut in Dei conspectum admitti possit, teste Apostolo; *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Notæ tibi sunt Reipublicæ olim Romanæ virtutes eximiae, mira prudentia, clementia singularis, decantata toto orbe iustitia. Tanto virtutum comitatu, verâ fide destituito, orbis quidem imperium, sed non cælum obtinuit, Perierunt Cæsares, ardent Catones, cruciantur graves illi Reipubl. Patres, olim ostro splendidi, nunc in flammis nunquam extinguendis purpurati.

Non igitur te detineat inanis illa virtutum Umbra, quâ nihil fallacius. Non aura fluctuantis Populi quâ nihil incertius. Non speciosa Fortunæ crepundia, quibus nihil in vita fugacius. Non voluptatum blandæ Syrenes, quæ te à recto veritatis cursu in errorum syres abducant. Periculosa est omnis ad salutem remora. Præterit vita, festinat mors, iudicium præ foribus expectat: dum tempus finit viam tutam amplectere. Nulla enim satis magna est securitas, ubi periclitatur Æternitas.

*Genius fallax Novatorum quomodo cavendus.*

**C**ommune vitium est naturæ lapsæ, Antiqua fastidire, ad Nova semper anhelare: Semper, inquit Seneca, præsentibus est infesta levitas, & proprium est ægni animi, nihil diu pati. Hinc passim nova videnti, delibandi, audiendi, summa cupido. At quoniam Veritas, & virtus perstat semper immutabilis, & novitatis nescia, hinc Novatorum commune studium est, novitatem falsæ doctrinæ, Veritatis, ac Virtutis fucis convestire. Suos igitur errores his artibus, ac pigmentis decoratos, tanquam Patrum antiquorum, S. Augustini, & ipsius Scripturæ oracula, incautis proponunt. His accedit proponentis gratia, frons blanda, lepor styli, & conciliatrix animorum facundia, quibus simpliciores capi necesse est, nisi sæpius recolant necessarium illud Christi monitum: Venient ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Illi verò Novatores ex aduerso, ne Lupinam hanc animas perdendi Rabiem detegas, blandum illi Charitatis nomen imponunt: Miseret illos tui erroris, dolent te à Pontifice & ejus asseclis in fraudem induci, tuum statum miserum & infelicem altè ingemiscunt. Sed si ad fucatam hanc Charitatis speciem ritè attendas, facile deprehendes illam in vocis sonitu consistere, nec omne aurum esse quod lucret. Bractea quædam Charitatis tibi ostenditur, ut de tuo lapsu nimis credulo, novitatis Authores triumphum agant. Hac arte fraudulentæ Charitatis grassati sunt omnium temporum Novatores, quorum blanditias, ac favores, & ipsa dona tu suspecta haberes cautè monet his verbis S. Augustinus *lib. 2. de Symbolo cap. 13.* Lupus est, agnoscite, Serpens est, ejus capita conquassate: Blanditur, sed fallit, multa promittit, sed decipit. Venite inquit, defendam: si necessitas est, pascam: Si nuditas, vestiam. O lupo male! ô Serpens inique! Vestis nudum, ut expolies intus Christo Vestitum. Pascis esurientem, ut animæ auferas cibum cælestem.

Sed nec ab una mentitæ Charitatis specie cavendum: Novit id genus hominum, ut aptius fallat, reliquas etiam Virtutes adulterare. Ut tibi cautus videaris, ne oculis etiam tuis nimium credas, dum primâ fronte externa probitatis, & modestiæ species ostenta-